



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos  
Distributa

**Illsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCCLXXXIX. Jacobus & Joannes primas Sedes ambiunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

## MEDITATIO CCCLXXXIX

*Jacobus & Joannes primas Sedes**ambiunt. Matth. 20. v. 20. Marc. 10.*

v. 35.

**PUNCTUM I.** *Tunc accessit ad eum Mater Filiorum Zabedai cum Filijs suis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic, ut sedeant hi duo Filij mei, unus ad Dexteram tuam, & unus ad Sinistram in Regno tuo. Matth. 20. v. 20. Quia verò, quod quis per alium facit, per seipsum facere censetur, ideo Marcus dixit: Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes, Filij Zabedai, dicentes: Magister, volumus, ut, quodcumque petierimus, facias nobis. At ille dixit eis: Quid vultis, ut faciam vobis? & dixerunt: Da nobis, ut unus ad Dexteram tuam & alius ad Sinistram tuam sedeamus in Gloria tua. Quam conatu opponere nos debemus studio supra alios emulandi, cum Ambitionis vitium omnes alios precedendi, etiam Piscatoribus congenitum fuerit; & illud tamen tanta sit turpitudine, ut superbam petitionem puduerit per seipsos, & absque ambagibus proponere, sed Matrem substituerint, & prius generalibus verbis assensum rogaverint? Sicut autem hi duo Fratres habentes appetentes fuerunt honoris; ita postea ibant gaudentes à conspectu Concilij, Quoniam digni habiti sunt pro Nomine IESU contumeliam pati. Act. 5. v. 41.*

**PUNCT. II.** *Respondens autem IESVS, dixit illis: Nescitis, quid petatis. Matth. 20. v. 22. Putabant enim, ut colligitur ex Luca. c. 19. v. 11. Christum post Resurrectionem illico Jerosolymis regnaturum, Regnum*

gnūmque illius fore terrenum. Sic quoties terrenum aliquid petimus, nescimus, quid petamus: an scilicet id utile, vel damnosum sit nobis futurum. Ideo S. Paulus Rom. 8. v. 26. ait: *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis (id est, facit, & docet nos postulare) gemitibus inenarrabilibus: scilicet animo nostro infusis: quibus terrena nonnisi sub conditione, si nobis utilia & DEO placita fuerint; Cælestia verò, quæ DEO placita ex formula Orationis Dominicæ novimus, efficaciter appetimus.*

PUNCT. III. *Potestis bibere Calicem, quem Ego bibiturus sum? Matth. v. 22. Aut Baptismo, quo Ego baptizor, baptizari? Marc. 10. v. 38. At illi dixerunt: Possumus.* Passionem suam Christus Calicem, & Baptismum appellat, & Exemplum suum allegat: ut ad patiendum nos invitet suo Exemplo, & Patientiæ utilitatem per duplicem metaphoram declaret; quia velut sumptio Calicis, & ablutio corporis, se habet ad corpus, ita Patientia adversorum ad Animam se habet, quam refrigerat, recreat, & mundat. Cura ut velut duo Filij Zebedæi idem possis re ipsa respondere.

## MEDITATIO CCCXC.

### Continuatio ejusdem Argumenti.

Matth. 20. Marc. 10.

PUNCTUM I. *Calicem quidem, quem Ego bibo, bibetis: & Baptismo, quo Ego baptizor, baptizabimini: sedere autem ad Dexteram meam, vel Sinistram, non est meum datum vobis, sed quibus paratum est. Marc. 10. v. 39. Pro Gloria, & quiete temporali, quam per sessionem ad Dexte-*